DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
PERTRACTANS

PNEUMONORRHAGIAM,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS & DIRECTORIS

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS LAUREA

SUMMISQUE IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
AC PRIVILEGIIS RITE ET LIGITIME ADIPISCENDIS

IN

CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA MILITARI
PUBLICE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

Adolphus Noé,

Moravus Konitzensis.

In Theses adnexas disputabitur in Palatio Academiae Josephinae die 30. Octobris 1832.

VINDOBONAE.
TYPIS LEOPOLDI GRUND.

MAGNIFICO CELEBERRIMO

DOCTISSIMO AC INTEGERRIMO

DOMINO DOMINO

JOSEPHO NOBILI A SAX,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

ORDINUM

CAES. RUSSIAE ST. WLADIMIR QUARTAE CLASSIS, REG. BORUSS. RUBRAE AQUILAE QUARTAE CLASSIS ET MERITORUM CIVILIUM REG. BAVARIAE

EQUITI,

NUMO MEMORIALI AUREO MAGNO AUSTRIAE CUM CATENA DECORATO,

S. C. R. APOST. MAJESTATIS A CONSILIIS

STATUS MILITARIS SUPREMI NEC NON DIRIGENTI IN AUSTRIA INFER. ET SUPER. MEDICO CAES. REG. ACADEMIAE JOSEPHINAE MEMBRO ACTIVO

NEC NON

PERMANENTIS COMMISSIONIS CASTRENSIS RESPECTU SANITATIS ASSESSORI ETC. ETC.

V I R O

SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA,

NEC NON

HUMANITATE AEQUE INSIGNI,

FAUTORI

OPTUMO ET BENEVOLENTISSIMO

TAMQUAM

ANIMI GRATISSIMI, SINCERIQUE CULTUS

MONUMENTUM

PIA CUM DEVOTIONE

HASCE PAGELLAS SACRAS ESSE VULT
DEDICATQUE

devinctissimus

Auctor.

Introductio. Generalis profluviorum notio.

§. 1.

Quotiescumque aut solidorum continentium aut fluidi in his ipsis contenti; aut utrorumque ex vitio vel citius, uberius quam par est, vel loco ac tempore non aequis quae diutius, aut semper retineri oportuisset, amittuntur; toties et statum morbosum, quem profluvium vocamus, adesse dicimus. Quas scholae incontinentias dixerunt, a profluviis hae aliter non differrunt, quam quod in illis, materia, ad leges naturae in cavo visceris collecta, ac certum per tempus, peculiaris organi vi, et voluntatis imperio retinenda nolentibus aufugiat, in istis humor aut morbose secretus, aut suis e vasis profusus, vel tempore, vel loco, vel copia insolitis excedat.

Frequentia Pneumonorrhagiae.

§. 2.

Qui fabricam pulmonum spongiosam ac laxam considerat, qui visceris cordi tam vicini, arteriis brevioribus magnisque venis autem haud tantae diametri instructi ac omni humorum massae transmittendae destinati nobilitatem summamque necessitatem perpendit, qui facilitatem meditatur, qua in experimentis anatomicis, ex arteria pulmonali

liquor in vesicularem pulmonis substantiam, et in asperam arteriam exhalat; qua vicissim bronchio injectae aqua, ichthyocolla, in arteriam pulmonalem sibi viam aperiunt; vel qua liquores tracheae impulsi in venam pulmonalem descendunt, aut huic ipsi injecti, in asperam arteriam et vesiculas feruntur, qui insignem ac aeris solius atactui ferendo parem bronchiorum, sensibilitatem, intuetur, qui stratas huic organo insidias multiplices magnasque, quas patitur quotidie, violentias contemplatur, qui demum consensum hujus partis cum aliis strictissimum mente revolvit, mirari is desinet, si nullibi locorum, modo naribus exceptis, tam frequens, tam arduum, quam ad pulmones profluvium cruoris occurrere dicamus. Est interim certa, quam rarissime hoc mali genus afflictat, alia, quam sat raro sibi subjiciat aetas, infantum scilicet, puerorum ac hominum aetate provectorum illa, quos nimirum ad talia dispositos, alias ad partes magis divexant profluvia. Infames sunt hoc morbo aetatis anni decimo sexto circiter ac trigesimo sexto intermedii, ac juvenes floridissimos, prae puellis, menstruo jam fluxu dotatis exitialis hic morbus sibi metit. Sed nulla est aetas, qnae tanto generis humani hosti aut comiti ejusdem phthisi pulmonali tributum cruentum non conferat, sexusque est nullus, ut pueros non minus quam senes, feminas aeque ac viros, fortes eodem ac debiles furore, nunc citius, nunc tardius mactatos doleamus.

Sectio I.

Definitio. Nomenclatura.

§. 3.

Sanquinis floridi, spumosi, sinceri, praevio ut plurimum titillationis in faucibus, caloris et doloris in pectore sensu, e bronchiis et pulmonibus cum tussi aut screatu facta rejectio, *pneumonorrhagia* dicitur.

§. 4.

Pneumonorrhagia venit a verbis graecis πνεύμων pulmo, et ῥέω fluo. Dicitur etiam *Haemoptysis*, seu Haemoptoë (a Gr. αιμα sanquis et πτυσις sputum), passio haemoptoica, emoptoys, emptoë, haemotismus, haemorrhagia pulmonum, sanquinis fluxus e pulmonibus, sanquinis sputum, sputum cruentum, vomitus pulmonis.

Germanis: *Blutspeyen*, *Bluthusten*, *Lungen-Blutfluss*. Sermone autem vulgari austriaco: *Blutbrechen*, quod facile medicum sermonis vernaculi haud gnarum in errorem ducere potest, cum *Blutbrechen* re ipsa vomitum cruentum significet. Gallis: *Hémoptysie*, *crachement de sang*, *expectoration de sang*, *flux sanquin des poumons*. Italis: *Emotisi*, *emotisia*, *sputo di sanque*. Anglis: *Spitting of blood*, *coughing up of blood*.

Symptoma. Autopsia cadaverum.

§. 5.

Pneumonorrhagiae in genere et cujusvis illius paroxysmi in specie nuntii esse solent: horripilatio in cute, rubor calorque fugax faciei, praesertim genarum, frigus extremitatum, sub quo venae in manibus disparent; aestus internus, lassitudo et gravitas artuum, motus illorum spasmodici, dolor ad regionem epigastricam, tensio hypochondriorum, borborygmi, alvus adstricta, urina pallida sensus ustionis sub sterno, cum difficiliori spiritu, inquietudo, anxietas, palpilatio cordis, pulsus concitatus, celer, duriusculus, perceptio sensus titilationis seu pruritus secundum asperae arteriae tractum ad fauces ascendentis saporque oris dulcis. Nonnunquam tamen sine omni sensibili pectoris commotione sanquis erumpere solet. Cruor modo vi quasi spontanea et levi excretione eructatur, modo per tussim violentam, cujus conatus aeger, quamdiu licet, reprimere satagit, tejicitur. Quod graviori in malo tanto cum impetu contingit, ut sanguis non solum per os, sed et per narium ostia prosiliat, faucesque vellicando vomitum excitet: Copia sanquinis rejecti nunc ad paucas guttas circumscripta est, nunc, libras plures excedit. Novus pneumonorrhagiae insultus excitatur quam maxime a repentina evigilatione a tussi, a sermone, a potu, aut cibo calidiori, a motu corporis praesertim brachiorum, ab animi commotio-

nibus, terrore imprimis et ira, saepe vero sine omni nota causa.

§. 6.

Hominum pneumonorrhagia defunctorum cadavera exhibuerunt pulmonum ulcera, indurationem, exsiccationem, tubercula, varices, ecchymoma, corpora peregrina e. g. os, arteriae pulmonalis rupturam, illius aneurysma idque in vomicam hians, aneurysma aortae in tracheam apertum, arteriam pulmonalem comprimens, affectionem arteriae subclaviae, illius aneurysma, aneurysma carotidis sinistrae in tracheam depletum, steatoma mediastino anteriori inclusum, hydrothoracem et hydrocardiam, venae cavae rupturam, vasa lymphatica pulmonis sanquine turgida; aliquando nil plane morbosi.

Diagnostica pneumonorrhagiae distinctio.

§. 7.

Pneumonorrhagia confundi posset cum *Stomatorrhagia*, *Epistaxi*, *Tracheorrhagia* et *Haematemesi*, distinquitur tamen ab hisce morbis sequenti ratione:

1. Praesente *Stomatorrhagia* sanquis ejectus e partibus cavi oris scaturit, et tussis, aliaque pulmonis adfecti symptomata desiderantur. Talis Stomatorrhagia omnem sanquinis fluxum e labiis, buccis, gingiva, dentium alveolis, palato et tonsilis, linqua faucibusque in se com-

prehendit, et per sensum visus praecipue cognoscitur.

2. Confusio *Pneumonorrhagiae* cum *Epistaxi* locum habere posset, si cruor vi e pulmonibus ejectus, per narium ostia prosiliret, aut si ille e vasis narium pullulans per choanas ad imas fauces deplueret, tussim excitaret, et instar sputi rejiceretur. Aetas aegroti, causae et praesertim symptomata prodroma ab errore in diagnosi tuentur.

3. *Tracheorrhagiae* praesentia potius quam illa *Pneumonorrhagiae* admittitur, si cruoris rejectioni ardor et titilatio non ad pectus sed ad laryngem aut tracheam praecedat, si ipse aeger anteriorem juguli partem, ut sedem mali designet *), si tusis vix aut ne vix quidem adsit, si cruor sine impetu ad cavum oris perveniat, sique pectus, a repetitis licet haemorrhagiis, pati non videatur.

4. In *Hematemesi* sanquis non est floridus, nec spumescens, sed colorem ostendit atrum et in grumos concretus est, neque tussi verum emesi, eructatur, illiusque ejectionem nullae prae-

---

*) Multos certe, qui modicum cruorem sub tussi non magna, per laryngem reddebant, ardorem fixum, titilationem aut sensum laesionis ad asperam arteriam accusare, locumque, unde sanquis scaturiet ad istam indicare audivimus.

J. Petr. Frank Epitome de curand. hom. morbis Lib. V., *p.* 184.

cedunt pectoris adfectiones, sed dolor in abdomine, cardialgia, vomituritio et alvus simul sanguinolenta plerumque dejicitur.

Sectio II.
Causae.

§. 8.

Praedisponunt ad pneumonorrhagiam hereditaria labes, corpus procerum, collum gracile et longum, pectus angustius, mala hujus architectura, imprimis gibbositas et depressio; tenera et laxa totius corporis imprimis pulmonum, compages, temperamentum cholerico-sanquineum, crebra quondam epistaxis, vitium rachiticum, scrofulosum et scorbuticum, aetas inter annum decimum octavum et trigesimum quintum *), sexus masculinus, vita sedentaria praesertim subitanea ex vita agiliori in otiosam transmutatio, tempus vernale, constitutio annua seu epidemica saepe, repentinae atmosphaerae, e frigidiori et sicciori in tepidam et humidam mutationi adscribenda.

§. 9.

Causae, quae pneumonorrhagiam excitant, sunt vel magis *locales*, vel vero in *universum* organissimum influentes.

---

*) Hinc *Hippocrates* scripsit: *Adolescentibus* autem *sanguinis spuitiones*, tabes, febres acutae, morbus comitialis et alii, sed praecipue ante dicti. Aphor. 29. Sect. III.

Ad causas locales pertinent:

1. Causae *idiopathicae*, uti violentiae externae e. g. thoracis vulnus, contusio, compressio, dorsi percussio, tibiarum aut tubarum inflatio, cantus, clamor *), sermocinatio protracta, corpora peregrina pulmonibus illapsa, e. g. putamen nucum, clavi, atmosphaera pulverulenta in qua vivunt molitores, textores, illi qui frumentum vertunt, potissimum vero lapicidae, vapores sulfurici, acidi muriatici oxygenati, amoniae, fumi nicotianae inspirati; rarefactus in montibus altissimis.
2. Causae *sympathicae* uti: vitia organica cordis, majorumque ejusdem vasorum. Suppressio haemorrhagiae consuetae, praecipue epistaxeos, fluxus menstrui et haemorrhoidalis, neglectae venae sectiones consuetae, impetigines retropulsae, ulcera intempestive consolidata, suppressio sudoris pedum, lochiorum, amputatio membri majoris, gravidas, lactatio.

Ad causas universales collocari debent:

1. Aestus nimius et frigus intensum, hinc *Hippocrates* etiam dicit: „frigidum valde venas

*) Hinc frequens pneumonorrhagia apud concionatores, cantatrices theatrales, monachos diu noctuque psalmos voce modo altissima, modo profundissima cantantes, vigiliarum praefectos, belli duces a vociferatione nimia post proelium dirupisse pulmonem *Antigonum* legitur apud. Polyb. II. histor.

frangit, et tussim citat, ut nix et glacies (*Sect. V. Aphor.* 24.)" variae mutataeque tempestatum vicissitudines, hinc frequentissimae sunt pneumonorrhagiae tempore aequinoctiorum.

2. Potus liquorum fermentatorum et spirituosorum, cibi aromatibus valde conditi. Opium, Hydrargyrum sublimatum corrosivum. Venerem praecocem, aut nimiam, inprimis onaniam, pulmonibus haud parum insidiari, multorum, qui hac ex causa nimis exhausti sanquinem sputarunt, funera confirmant.
3. Motus corporis vehementiores, nisusque varii, maxime in oneribus elevandis et portandis, item sub partu, vomitu, tussi, risu; cursus velox, venatio, equitatio aliaque exercitia equestria, saltus, agitatio brachiorum.
4. Deprimentia *animi pathemata*, praecipue moeror, terror, zelotypia, ira.

§. 10.

Symptomatico modo pneumonorrhagia plures comittatur nonnunquam morbos tum acutos tum chronicos.

Morbi acuti pneumonorrhagiam pro symptomate agnoscentes sunt *febres intermittentes* (febris intermittens haemoptoica) sed non quaevis pneumonorrhagia, ob id, quod periodice recurrit, huc spectat; cavendum quoque, ne febris hectica, quae pneumonorrhagiam phthisicorum comitatur, ob id, quod veluti per paroxysmos invadit, pro in-

termittente habeatur. Praeter febres intermittentes huc etiam pertinent *febres catarrhales*, *pestis*, *variolae*, *pneumonia*, *atque carditis*.

Ad morbos chronicos eodem symptomate non raro insignitos, spectant *phthisis pulmonalis*, *hydrothorax*, *ascites*, *scorbutus*, *physconiae*, *hypochondria*, *chlorosis*, *arthritis*, *rheumatismus chronicus*, et vitia plurima cordis et vasorum majorum.

Sectio III.

Divisio.

§. 11.

Divisionem pneumonorrhagiae in *inflammatoriam*, *spasticam*, et *passivam* post celeberrimum *Richterum* *), ut quoad praxim maxime utilem, et nos retinemus.

§. 12.

Pneumonorrhagia inflammatoria seu *stenica* complectitur:

1. *Pn. accidentalem*, quae adolescentes, maxime illos, qui prius epistaxi obnoxii erant, adgreditur. Ansam porrigunt errores gymnastici et diaetae. Origo morbi in statu inflammatorio arteriosi systematis pulmonum quae-

---

*) Die specielle Therapie nach den hinterlassenen Papieren des verstorbenen Dr. *Aug. Gottl. Richter*, herausgegeben von Dr. *Georg Aug. Richter*. Wien 1829. B. III. S. 222.

renda videtur. Antecedunt haemorrhagiam hanc cordis palpitatio, pectoris pondus, pulsus plenus, fortis, raucedo, siccitas pulmonis, tussis et dispnoea, quae ejecto cruore sublevatur, atque dolor, si prius adfuerit, mitescit, simul cum oppressione pectoris. Succedit debilitas et terror a cruoris adspectu.

2. *Pn. catamenialem*, quae catameniis ante terminum consuetum supervenit, singulisque mensibus moderata dosi eorum vices supplet, haud raro cum sanitatis integritate. Oriri videtur ex causis regulari menstruationi obstantibus, et labefactione praevia pulmonum.

3. *Pn. haemorrhoidalem*, quae effectus est plethorae venosae, concurrente saepe statu varicoso venarum pulmonis. Morbus saepe periodice omni anno, circa aequinoctialia tempora, in hominibus vitam sedentariam ducentibus, haemorrhoidalibus moliminibus, aut illorum quondam fluxui subditis, praeviis abdominis doloribus, sub alvi depositione recurrit. Rejectio cruoris certos inter limites levamen adfert.

4. *Pn. rheumaticam* et *arthriticam*, quibus rheuma et arthritis vasis sanquiferis pulmonis infensa ansam porrigunt. Tussis his in speciebus admodum saeva observatur.

5. *Pn. traumaticam*, quae a vulnere pulmonum, a percusso pectore, a corporibus extraneis in pulmones illapsis, et a rebus pulmones chemice laedentibus originem ducit.

§. 13.

Pneumonorrhagia spastica, quae nonnullis etiam *erethistica* dicitur. Species frequentissime occurens. Hic irritabilitas magna cum debilitate juncta est partim in toto corpore, partim vero localiter in pulmonibus.

Si perpendamus originem, curriculum et terminum nervorum pneumogastrici et sympathici magni, illorumque cum corde vasisque majoribus nexum, non mirabimur animi pathemata aliosque stimulos ex cerebro, columna vertebrali, abdomine, et partibus genitalibus ortum ducentes, *pneumonorrhagiae* ansam praebere. Cognoscitur haec species ex conditione aegrorum, utpote systemate nervoso admodum excitabili praeditorum, ex causa morbi maxime systemati nervoso infensa, ex pulsu parvo, contracto, haudque febrili, ex urina limpida copiosa, aliisque signis spasmodicis.

§. 14.

Pneumonorrhagia passiva seu *atonica*, quae non ex nimia vasorum pulmonalium irritabilitate, neque ex impetuoso sanquinis ad pulmones adfluxu originem ducit, sed sanquinis in resolutionem nisui, vasorumque laxitati debetur.

Hujus pneumonorrhagiae atonicae, praesertim in convalescentia inque recidivis, sine alia nota causa contingentibus, memores esse juvabit. — Huc pertinet praecipue *pneumonorrhagia scorbutica*, scorbutum enim haemorrhagiis in genere faventem, nec pulmonibus parcere, facile intelligi-

tur. Diagnosis illius habita ratione signorum generalium scorbuti instituitur. Et mercurii abusus hic non est praetervidendus.

Sectio IV.

Terminationes.

§. 15.

Pneumonorrhagiae exitum faciunt:

1. *In sanitatem*, ubi illaesis pulmonibus haemorrhagia sensim cessat, praesente vero statu febrili per crises ope sudoris et urinae; in suppressis aliis haemorrhagiis per apertum iterum earum rivum.

Quamvis perfectae recuperatae salutis exantlata pneumonorrhagia exempla non desint, morbus tamen recidivus non immerito timetur.

2. *In morbos posthumos*, praecipue in tuberculorum pulmonalium formationem atque supporationem, hinc phthisis purulenta frequentissima est ejusdem sequela; praeterea in pneumoniam, chronicam pulmonum atoniam, hydrothoracem, atque tabem.

3. *In mortem*, plerumque per morbos posthumos, praesertim phthisim pulmonalem, sed etiam per se ex nimia ejusdem vehementia. Horrendum spectaculum conspicere miserum mortis terrore percussum, lecto cruento insedentem, linteis sanquine atro grumoso con-

glutinatis, atque vasis, spumante coccineoque vitali humore repletis, circumdatum respiratione stertente, sibilosa, humilima voce, verba intersecta et anhelata, sub violenta diaphragmatis actione proferentem, signorum ope loguentem auxiliumque implorantem, et cum prosiliente vitali latice ipsam quasi vitam eructantem.

Sectio V.

Prognosis.

§. 16.

Non parum respondet veritati *Ovidianum* illud: „*Cernis ut e molli sanquis pulmone remissus*
„*Ad Stygias certo limite ducit aquas.*"

Et certe pneumonorrhagia nunquam expers discriminis est. Unde *Hippocrates* ait: „*Sanquis supra quidem, qualiscunque fuerit, malum* *)." Et alio loco: „*Qui sputis cruentis detinentur, ex his quidem brevi tempore pereunt; quidam vero diutius trahunt: praestat enim corpus corpori, aetas aetati, et affectio affectioni et anni tempestas tempestati, in qua aegrotant: quidam enim morbos facile tolerant, quidam vero omnino tolerare nequeunt.*" Porro: „*Et ubi sanquinem spuere desierit, salivam multam liquidam expuit*

*) Aphoris. 15. Sect. VII.

quandoque vero etiam viscosam. Atque haec quidem sic patitur, donec quatuordecim dies praeteriverint. Post hos vero, si non desiverit morbus, squamas ab arteria tussitando avellit, quales a pustulis decedunt, et dolor incidit in pectus et in dorsum et in latus et *praecordia contingens velut ulcus dolet* *)." Ac re quidem vera quamvis exempla de felici pneumonorrhagiarum exitu non desint, haec tamen, si agatur de cura radicali admodum pauca sunt. Nec id mirum, dum pulmonis structura et officium perspicitur.

§. 17.

Pneumonorrhagia inflammatoria accidentalis dum mature et rite curatur, sanationem admittit. Alias timendum est, quod causa primum secretionem morbosam sanquinis largiens, serius abscessibus, erosionibus, aneurysmatibus, potissimum arteriae pulmonalis ansam porrigat. Si haemorrhagiae hujusmodi febre stipantur, illarum perfecta sanatio vix sine evacuationibus criticis expectanda. Contra, „*a sanquinis sputo, puris sputum malum* **)" inprimis, si febricula hectica socia sit.

§. 18.

Pneumonorrhagia catamenialis, quamvis salutaris seu critica esse soleat, attamen semper pectoris debilioris sistit testimonium, unde timenda.

---

*) De internis affectibus Liber.

**) *Hippocrates* Aphorism. 15. Sect. VII.

*

Quod et de *Pneumonorrhagia haemorrhoidali* dici debet, alias inocua nisi forte rupta varix, ulcus efformet, vel cruor in parenchyma pulmonis deponatur. Patet hinc cruorem ejectum, saepius minus, quam cruorem relictum, timendum esse.

§. 19.

Pneumonorrhagiae traumaticae prognosis ex indole causarum et vi morbi pendet. Illa saltem id boni habet, quod superato morbo, recidiva minus quam in haemoptysi ex causis internis timenda sit. Pneumonorrhagia ex corporibus bronchiis elapsis, nisi haec, tussis ope evacuentur, phthisim pulmonalem certe post se trahit. Contra vaporum acriorum effectus, etsi in gravi consistat haemoptysi transitorius esse solet.

§. 20.

Haec prognoseos praecepta et in reliquas pneumonorrhagiae species quadrant; habita imprimis ratione constitutionis aegri et morborum perpessorum.

Quoties structura thoracis, et mala, quae praecesserunt, potissimum labes rachitica et scrofulosa, tuberculorum pulmonum imprimis exulceratorum movent suspicionem aut quoties pneumonorrhagia aliis morbis chronicis provectis, imprimis phthisi pulmonali, vitiis organicis cordis et arteriarum, hydrothoraci supervenit, toties prognosis atro carbone notata, ocyus, serius, nimis confirmatur.

„Tristissimus est status, cui maximo cum

impetu cruor plurimus, coccineus, subebullientis quasi in cavo thoracis profundo, aquae strepitu ex trachea per vices praecipitet, cui extrema frigere, vomitum, lipothymias repetitas, nec tamen fluxum cruoris cohibentes, convulsiones succedere videamus, vel si causas istorum, quas minime auferri licebit subesse noscamus *)"

Sectio VI.

Therapia.

§. 21.

Medicus ad aegrum haemoptoicum advocatus festinanter accedat, sed haud turbato per adspectum periculi vultu. Securitatem potius infundat. Sanquinem ejectum non sub aegri oculis examinet, ac perspectum illico removere curet.

Quaestiones instituat non superfluas et quousque licet ita constitutas, ut aegrotus aut affirmando aut negando nutu respondere possit. Optimum si adstantes pro eo loquantur. Interea curandum, ut aegrotus mox vestibus et cingulis, quae comprimant, spolietur; ut corporis positionem erectam observans, sub frigido in aëre degat; ut corpus vel minime moveat, ac ab omni prorsus vociferatione abstineat, ut mentis in eodem agitatio, quo fieri id licet, modo companatur.

---

*) *J. Petr. Frank* Epitome de curand. hom. morb. Lib. V. p. 179.

§. 22.

In pneumonorrhagiae cura indicatio vel directa vel modo indirecta locum habet. Saepe causa morbi tolli adhuc potest, hinc vulnera fracturae costarum principiis chirurgicis, conformiter tractentur, haemorrhagiae suppressae iterum recocentur.

§. 23.

Postea prae omnibus aliis videndum est, an haemorrhagia haec activam vel vero passivam habeat indolem. Si haemorrhagia activa cognoscitur qualis in pneumonorrhagiis recentibus plerumque esse solet, remedium potentissimum et incombarabile phlebotomia sistit.

Pulsus tensus et plenus, subitanea paroxysmi invasio, et sanquis coccineus spumescens, praecipue in subjectis plethoricis venam sine mora secare largamque sanquinis quantitatem evacuare jubent. Sed neque pulsus parvus et contractus, nec pallida facies, terroris plerumque effectus, a phlebotomia medicum deterreant, saepe post venae sectionem pulsus evolvitur elevaturque et plenus durusque fit. Recte ita *Vogel* monet: in tali casu aliquam audaciam minus quam timiditatem nocere.

Solummodo ubi per varios excessus, tristitiam atque moerorem morbisque diu durantibus vires admodum exhaustae sunt, nec non in subjectis cachecticis atque hydropicis phlebotomia interdicitur.

Quam primum novus insultus haemoptoicus invasionem facit, et donec anxietas, praecordiorum oppressio, pulsusque tensus et duriusculus adfunt,

sanquisque floridus coccineus adparet, iterata venaesectio negligenda non est, neque numerus venaesectionum determinari eousque potest, donec sanquis multum continet cruoris, notabilemque ostendit crustam inflammatoriam, sub tali enim rerum conditione sola adhuc phlebotomia imminens averti potest phthisis, pulmonalis. Fasciae post institutam venaesectionem laxe, quantum fieri potest, constringantur.

§. 24.

Venaesectio seculorum auctoritate suffulta in pneumonorrhagia accidentali in brachio, in catameniali et haemorrhoidali in pede institui debet. Venaesectione peracta, aut in minori malo, ea haud plane indicata, magna est hirudinum circa vulvam aut anum applicatarum efficacia *).

Item cucurbitarum, tum scarificantium, tum siccarum ad hypochondria **), aut ad crura ***).

Nec pediluvia calida, nec clysteres emollientes, nec sinapismi acriores, non ad pectus, sed ad extremitates inferiores negligi debent.

§. 25.

Usui interno moderata *nitratis potassae* dosis, a qua nulla irritatio timenda est, in vehiculo ex-

---

*) *Schmucker's* vermischte Schriften. B. I. S. 18.

**) *Riverius* Observ. Cent. II. Nr. 52.

***) *Percival's* Abhandlung für pract. Aerzte. B. 13. S. 654.

templo parando exhibita medici expectationi satisfacit. Testatur de pauco judicio, si medicus festinantur ad haemoptoicum vocatus, tales formulas, quae praesertim noctu, exstincto in pharmaciis igne, tempore et coctione indigent, praescribit. Cur non solvere simpliciter nitrum in aqua addito syrupo mucilaginoso?

Optime vero jungitur solutio *nitri* cum solutione *sulfatis potassae*.

Solutio haec ad normam Pharmacopoeae Austriacae Castrensis, tali modo praescribitur:

Rp. Mixtur. salinae
— nitratae
āā dos. semis.

M. Dt. Sig. Omni bihorio cochlearia duo.

Haec solutio mixta insignem nitri virtutem in frangenda sanquinis vitalitate exorbitante atque impetuositate magnas simul Arcani duplicati vires conjungit, hocce enim remedium arcano certe modo penetralia organismi permeando actionem derivantem, evacuentem, solventem, atque turbas systematis sanquiferi compescentem mirum in modum exserit. Quidquid itaque portentosa, sublimis eruditionis venditatione sibi ipsi blandiens contra simplicem hanc formulam alto supercilio adferat, equidem in nosocomio vindobonensi militari officio fungens, et hujus mixturae a celeberrimo et expertissimo medico castrensi praetorio Domino Consiliario *Nobili a Sax* in pneumonorrhagiis frequenter praescriptae virtutem speciosam saepissime

observans meritas illius laudes vix sufficienter praedicare possum.

§. 26.

Freno hac sub methodo pneumonorrhagiis, de quibus sermo est, injecto, et hoc in morbo tempus ad perfectam curam concedendum, et inprimis ejectio cruoris atri, ut pote saepissime cum levamine contingens, non impedienda. Ad aegrorum et affinium impatientiam temperandam, interea vehicula pro intratae potassae mutantur. Decocta radicis *Salep* et *Altheae officinalis*, maxime seminum *lini usitatissimi* emulsiones tenues *amygdalinae*, linctus ex mucilagine *gumi arabici* et syrupo sive *Altheae*, sive *violarum*, sive *papaveris rhaeados* et oleo amygdalarum dulcium eligere solemus; potus sit egelitus.

§. 27.

Si malum nondum sufficienter in fractum fuerit, deinde transitus in remediis internis fit ad *Alumen Acidum tartaricum* cum *Symphyto officinali*, ubi erethismus adest, pulsusque tangitur frequens ad *acidum sulfuricum dilutum*, *Elixirium acidum Halleri*, *Digitalem purpuream*, in statu spastico ad *Ipecacuanham* et *Extractum Hyoscyami*, denique ad epithemata frigida thoraci imponenda.

§. 28.

In pneumonorrhagia spasmodica et in omni alia symptomatibus multis nerveis, etiamsi accidentalibus, insignita, *semina hyoscyami* sub forma

emulsionis teste celebratissimi professoris *Bischoff*, cujus formula in tot tantisque casibus rebellibus, praecipue in pneumonorrhagia habituali optimo cum effectu adhibita est, tali modo componitur:

Rp. Semin. Hyoscyam gr. decem-drach. dimid.
Amygdal. dulc. drach. duas
f. l. a. emuls. col. unc. quinque
adde Mucilag. gg. arab.
Syrup. Altheae
āā unc. semis.
M. Dt. Sig. Omni bihorio cochl. duo

nihilominus *extractum herbae* ejusdem maxime commendari merentur. Et folia *Digitalis purpureae* hic iterum tentari possunt. Spasmis ex imo ventre proficiscentibus, morboque habituali redito radicis *Ipecacuanhae* parvae doses multum praestare solent. Maxime autem practicorum nonnullis connubium hujus radicis cum opio arridet. *Pulvis Doveri* enim velut specificum agit, dum febris desideratur, alvus aperta est, noctes inquietae sunt, tussicula brevis urget, et aeger pusillanimus cernitur.

§. 29.

In pneumonorrhagia passiva seu ab atonia interdum adstringentibus, tonicis atque excitantibus locus concidendus est. In pneumonorrhagia atonica, praesertim puellarum, atque in haemoptoë phthiseos pulmonalis conclamatae et morborum organicorum cordis et arteriarum symptomate, *Elixirium acidum Halleri* optime conducit. Alii sim-

plex *Aeidum Vitrioli* laudant. Quodcumque tamen acidum eligatur, id tali pacto involvendum, ut tussim non exasperet.

Exhausto a haemorrhagia aegro interdum *Elixirium Vitrioli Minsichtii* et maxime illius cum *laudano liquido Sydenhami* connubium nonnulli commendant. Interea cum *Stahlio* opiata, quantum possibile fugimus. — Huc praeterea pertinent Radix *Tormentillae; Bistortae; Extractum ligni campechiani* ad drachmam semis colaturae librarum duarum vel trium additum. *Vitriolum Martis* artefactum ad grana duo vel tria omnia trihorio, *Gummi Kino, radix et extractum Ratanhiae;* Cinamomum.

§. 30.

Pneumonorrhagiae symptomati *febrium intermittentium* ablata omni complicatione inflammatoria et gastrica *Cinchona officinalis* opponenda.

Cruore cum periculo vitae e pulmonibus ruente, absentibus inflammationis signis et complicatione cum veteri aliquo infarctu, tentatisque aliis in casum auxiliis, ad usum internum et externum *aquae frigidae* et *glaciei* devenire licet.

§. 31.

Fascias extremitatibus tunc superioribus, tum inferioribus ita admotas, ut venas in corporis superficie decurrentes, non arterias profundius sitas, comprimant, cum successu adhibuisse *Jos. Frank* testatur, ipse tamen fatetur longe saepius et hoc

auxilium non solum nil praestitisse sed potius evidenter nocuisse. Memorabilia sunt *Celsi* *) verba:

„*Erystrates* horum (in haemoptysi constitutorum) crura quoque et femora brachiaque pluribus locis deligabat. Id *Asclepiades*, adeo non prodesse, etiam inimicum esse proposuit. Sed id saepe commode respondere, experimenta testantur. Neque tamen pluribus locis deligare necesse est, sed sat est infra inguina, et super talos, summosque humeros, etiam brachia."

§. 32.

Pneumonorrhagiae nota gastrica insignitae sanquinis evacuationem per se non exposcunt, verum cum de diagnosi raro certissimi simus, cumque complicatio inflammatoria latere possit, nisi constitutio epidemica nos aliter docuerit, et hic phlebotomiam negligendam non esse censemus. Venaesectione admodum dubia, et hypochondrio alterutro tenso, illi vel hirudines vel cucurbitulae scarificantes imponuntur.

Si fomes saburalis, vel biliosa lateat (aut corpus peregrinum e trachea ejiciendum sit) plurimi emeticum commendant. Sed adeamus de emetico disertissimum *J. Petrum Frank* *) qui dicit: „Ipsa quidem emetica interdum pulmonum cruenta profluvia, imprimis si gastrica colluvies haec produxisse videbatur, profuisse a claris in arte viris est

---

*) De medicina, Lib. IV. Cap. 4.

**) In libro supra citato, pag. 185.

„dictum; sed super igno doloso et cineribus tecto „hic incedimus, nec tanta nobis causarum certitudo „concessa est, quin ipsa ventriculi subversio, pro„fluvii pulmonalis effectus, ac emetici praescripti „actio letalis esse queat.“ Haemorrhoidariis egregie *Electuarium linitivum* inservit. Quocunque vero ad alvum movendam utaris eccoprotico, cave a violenta alvi evacuatione, haemoptoicis admodum adversa.

§. 33.

Etiam *sal culinare* in pollinem finissimum redactum ad cochlear coffeanum commendatur. Adhiberi potest urgente periculo, deficiente rationali indicatione, noctu, donec certiora praesto sun pharmaca. Sumto hocce natro muriatico nervus vagus, pulmonibus inserviens, peculiari modo irritari videtur, specificam dein actionem compescentem in systemate sanquifero producens.

Sectio VII.

Cura posthuma.

§. 34.

Exantlata autem pneumonorrhagia non illico triumphandum, ac sat diu in eadem methodo, praecipue quod spectat ad regimen diaeteticum continuandum. Strictis diaetae legibus haemoptoicus se obligare debet, nam ut *Hippocrates* dicet: „Si cu-

„ratus et sanus, factus non se ipsum custodierit, ple- „risque revertens morbus interitus causa fit."

§. 35.

Fracta jam morbi vi et *Sucus expressus urticae dioicae*, verno praecipue tempore in usum vocandus, laudatur. Remedium hocce veteres in pluribus haemorrhagiarum speciebus adhibere solebant, haec de illo *Amatus Lusitanus* refert: „Qui sanquinem ex pectore rejectarunt, et a medicis tamquam deplorati sunt habiti solo Urticae, usu convaluere. Post multa remedia nullum ita contulit, ut „sanquis cohiberetur, ac Urticae succus, quem ad quin„que, ad sex dies ebiberunt, singulis scilicet die„bus quatuor uncias, jejuno ventriculo.

§. 36.

Ceterum aegro jam ad portum deducto, quid ad perfectam sanitatem obtinendam adhuc desideretur, ipsa natura sub lactis usu perficit. *Fridericus Hoffmann* narrat: „Novi solo lacte caprillo „cum floribus papaveris rhoeados cocto, admixta „dimidia aquae parte et adjecta portione mellis, quo„tidie largim assumto, immodicam etiam ex pulmo„nibus sanquinis profussionem optime conquievisse „primum, ac postea usurpatis simul multo inter „cibos confectis ex amylo, ex toto fuisse sanatam."

Prophylactica ad morbos posthumos.

§. 37.

Infaustum hujus morbi transitum in alium, seu in laethalem plerisque phthisis pulmonalis,

apud multos feliciter avertere licet. Sed nihil sola medicina, nisi ipse sibi consulat, et a causis hujus mali, tam facile redituri, sibi caveat aegrotus, proficiet. Parum adeo utriusque conamina auxilii saepe ferunt, si exitialis quemquam ex parentibus praedispositio tenuerit; ac integras saepe familias, quocunque demum modo vivendi uterentur, praecedente plerumque, — ut signum certe magis, quam ut causa primaria, cruento pulmonum profluvio, in tabem ex ulcere istorum, lethalem praecipitatas dolemus. Est interim non spernendum pro multis vitae ac sanitatis praesidium, et quae in genere huc spectant, in eo sunt posita: ut aegrotus, a pneumonorrhagia convalescens, qua demum ratione licebit, aeris imprimis, nec frigidi nimis, nec montani, nec variabilis admodum, sed per amplam planitiem spirantis, rusticani delectum instituat, ut vestibus nimis arctis, tenuioribus aestivisque renuntians, a pedum imprimis et a cutis subitaneo refrigerio sibi caveat, ac omnem catarrhalis affectionis occasionem solicite evitet, ut corporis exercitio moderato, matutinas ad horas suscipiendo fruatur, sed ab eo, quod violentum est, a nixu quovis, ab acclivium ascensu, a clamore et cantu, tubarum inflatione, ac longa vociferatione, ab illis, quae motum sanquinis accelerant, alimentis, potulentis, veneris illecebris, animi pathematibus, abstineat; ac maxime ut omne, in causis internis, quae morbum jam pridem excitarunt, fugiendis, corrigendis, eradicandis consilium mature convertat.

Appendix forensis respectu militiae.

§. 38.

Grave medicinae forensis objectum est de morbis tum *dissimulatis* tum vero *simulatis* justum fere judicium. In hocce officio medicus ut summae dignitatis reipublicae membrum apparet. Requiritur enim ad hocce medici munus praeter solidissimam eruditionem, et integerrimus honoris sensus, nec non inviolabile justi aequique studium cum affabili humanitate junctum. Grave hoc officium praeprimis medicis castrensibus imponitur. Ex magna autem morborum dissimulatorum cohorte pneumonorrhagia maximi certe esse momenti, mihi videtur.

§. 39.

Dissimulant pneumonorrhagiam (sanquini longe alium, quam pulmonum, fontem assignando) aegrorum ii, qui periculum, in quo versantur, sibi ipsis fateri nolunt, hincque sese et medicum decipiunt. Dissimulare etiam pneumonorrhagiam possunt juvenes, castra sequi volentes. Ad stabiliendam diagnosim multum hic confert constitutionis, habitus corporis, architecturae thoracis, morborumque perpessorum severa aestimatio, praeterea motus corporis validiores, onerum elevatio atque portatio et equitatio non parum lucis adfere possunt.

§. 40.

Sed longe fequentius pneumonorrhagia simulata occurrit. Nonnulli enim fatale hocce malum

simulant, ut vel poenam aliquam effugere possint, et misericordiam excitent, vel saepe ut castra deserere possint. Hic enim morbus jam saepe exauctorationis motivum sistebat ex ignorantia et credulitate medicorum.

§. 41.

Simulatores graviter tussiendo, vel sanquinem ex linqua, gingiva, buccaque laesa, sugunt, vel vero salivam bolo armenico, radice rubiae tinetorum, pulvere tegularum rubrarum petio involutis, cum sapone masticatis, ejiciunt. Troehiscos etiam carmino coloratos, et substantia sallivam allicienti e. g. radice Pyrethri, mixtos ori iminittunt.

Alii instrumentum argenteum spongiam sanquine impraegnatam continens in ore abscondunt. Ex manus etiam vel digiti vulnere sponte facto sanquinem sugunt, aut sanquinem alienum substituunt.

In omnibus his casibus aeger jubeatur spuere, quin tussitet, et sanquis tamen prodibit, praeterea accurata cavi oris inspectio multum juvabit.

§. 42.

Ceterum medicus, dum suspectam habet haemorrhagiam, semper cautus et in diffidentia continua esse debet, sed si illum circumspectum simul etiam aequum esse oportet, et nihil omittere vel negligere, ad decisionem suam fundamentis justis et solidis superstruendam. Maximi interest, omni praeconcepta opinioni abstinere, et veritatem recta

via investigare, quin, improbum detegere, vel optaret, vel metueret.

§. 43.

Medicus propter pneumonorrhagiam de militis exauctoratione judicium ferens facile incidit in Scyllam dum vult vitare Charybdim, non omnis enim pneumonorrhagia sufficientem exauctorationis causam sistit, nam pneumonorrhagia praeprimis inflammatoria accidentalis integerrimam non raro sanitatem admittit, si itaque pneumonorrhagia tali laborans castra derelinquit damnum exinde exercitui enascitur, si vero pneumonorrhagia tali, quae morbos posthumos insanabiles post se trahit, laborans non dimittitur, malum illius exasperatur, et aerarium exinde damnum patitur. In dijudicanda ergo hac re medicus castrensis solida pathologiae cognitione et principiis, quoad hunc morbum prognosticis rite imbutus esse debet; quid itaque hic agendum sit, ex tractatu nostro pneumonorrhagiae prognostico, quem uberius dilucidare conati sumus, elucebit.

Literatura.

Hippocrates, de internis affectibus liber, et in Aphorismis.

Galenus, de locis affectis, L. IV, Cap. 5.

Celsus, de medicina, L. IV, Cap. 4.

Stahl (*Ernest*), Theor. med. vera. Diss. aeger haemoptisi periodice laborans. Hal. 1699.

Hoffmann (*Fridric.*), de sanquinis fluxu e pulmonibus, vid. Opp. T. II. Diss. de haemoptysi selectae quaedam observationes. Hal. 1730.

Göltzius, Dissertatio de haemoptysi. Reg. 1699.

Sperling, Dissertatio de haemoptysi. Witeb. 1698.

Berend's, Dissertatio de haemoptysi. Francof. ad Viadr. 1802.

Burel, Dissertatio sur l' haemoptysie. Paris 1809.

Borsieri, Instit. med. pract. Vol. 4, Cap. 2, de cruenta expuitione et speciatim de haemoptysi.

Cullen First, lines of the pract. of physic. V. II, C. 3.

Vogel's (*S. G.*), Handbuch der pract. Arzeneiwissenschaft. 5. Th. 3. Cap. S. 42—72.

Frank (*J. P.*), Epitome de curandis hominum morbis. Lib. V, p. 161—190.

Reil's Fieberlehre. 3. B. 4. Cap. Seite 83.

Reinhard's Abhandlung von dem Lungenblutflusse oder Blutspeyen. Glogau 1762.

Pinet et *Brigheteau*, Dict. medic. Tom XX, p. 295.

Richter's specielle Therapie. Wien 1829. B. III, Seite 213.

Bischoff's (*J. R.*) chronische Krankheiten. Wien 1830. Seite 27.

Theses defendendae.

1. Frigus pro adjunctorum diversitate inflammationem producit, et opprimit.

2. Conjunctivitis aegyptiaca morbus sui generis est, et oculi typhus dici meretur.

3. Synchondrotomia ad partum, propter pelvis angustiam impossibilem adjuvandum, non tantum inutilis, sed et maxime deletera.

4. Scirrhus et carcinoma radicaliter nunquam sanantur.

5. Fumigatio herbae Nicotianae Tabaci post pastum digestioni inimica, nec secus vitae amica.

6. Ophthalmiatria pulcherrimus, sed etiam difficillimus Medicinae ramus.

7. Ex solo oculi adspectu saepius Organismi adfectiones occultae cognoscuntur.

8. Facici mutatio, peculiaribus lineamentis expressa, in infantum morbis haud spernendum diagnosticon.

9. Febris puerperalis non eundem semper gerit characterem, quare et Therapia illius variat.

10. Ophthalmia Neonatorum potest contagiosa evadere.

11. Unicum certum mortis indicium putredo est.

12. Sensus honoris in medico castrensi praecipue excitandus est.

13. Status hominis psychicus maximum exserit influxum in statum ejusdem somaticum, hinc medicus, philosophicus sit psychiater, oportet.

14. Gangraena nosocomialis in peculiari evaporatione massae organicae consistit.